

te punire poterant, sed ut SEDITIOSVM LATRONEM ET REBELLEM, qui prohiberet, ne Imperatori census traderetur, et qui REGEM Israelis, Iudaeos a potestate Caesarea liberaturum esse se, iactitaret, Proconsuli Romano ad supplicium de eo sumendum tradebant.

## §. XIII

## LAPIDATUS EX ARBORE SVSPENDEBATVR

Magna est controuersia inter Iudaicos DOCTORES, numne omnes LAPIDATI EX ARBORE SVSPENDENDI FVERINT; an tantummodo BLASPHEMVS et IDOLOLATRA hoc magno opprobrio afficiendus sit? Ratio uero, e qua hanc quaestionem dubiam uexamque eruere, et certo certius demonstrare audent, ex eo desumpta est, quod summus ille IEHOVA MOSI legem tulerit, a) secundum quam non more gentilium regum REOS uiuos, sed mortuos EX ARBORE SVSPENDERE deberent. Hancque ob causam *strangulatio*, qua alias semper FALSVS PROPHETA dignus iudicabatur, non uti apud nos consuetudo est, cum SVSPENSIONE EX ARBORE coniuncta erat, sed *codice סנהדרין* exponente b) alio modo fieri solebat. Attamen hoc loco

a) Deut. XXI. cap. uers. 22.

b) Vid. Cap. VII. §. 3. fol. 188. col. I. sequentia ibi de *strangulatione* inueniuntur:

מצות הנחנקין היו משקעין אותו בסבל עד ארכובותיו ונותנין סודר קשה לתוך הרכה וכורך על צוארו זה מושך אצלו וזה מושך אצלו עד שנפשו יוצאה: Praeceptum strangulandorum; immergunt illum in fimum usque ad genua ipsius, et circumdant sudarium durum linteo molliori, i. e. in mollius linteum inuolutum, collumque eius conuoluunt, et linteum hinc et inde trahunt, donec anima eius exit.

M